



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ivdx Magistrtvs Senator**

**Zype, Franciscus van der**

**Antverpiæ, 1633**

§. XII. De reliquis iuribus Maiestatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14280**

2. prout & veritum est l. 2. C. de fal. mon. vbi etiam Maiestatis crimine obligatur, qui circa monetam peccat, qualitatem, mixturam monetæ, ideoque ad Principem spectare constat. l. vnic. C. de arg. pret. lib. 10. quia nummus publica mensura est, & æstimatio. l. 1. in prin. D. de cont. emt. mensuram falsam fieri si corrumpatur moneta, ideoque labentis Imperij prælagium corruptionem monetæ innuit ille;

*Discitur ex nummis quàm se malè tempora mutant.*

3. Et magnâ apud veteres religione moneta tractata est. vt ne rescripto quidem competere alicui posset. l. vlt. Cod. de fals. mon. sed nimum hodie priuilegijs & præscriptionibus inferiores Principes ius monetæ cudendæ, præsertim in Imperio vsurparunt. quod & patrum memoriâ in Gallia accidit. sed Ludou. Hutinus Rex plurimum Principum priuilegia ære redemit, & Francisc. I. edicto generali vsurpationes sustulit, & residua priuilegia. Lud. autem X I. inter reliquos prætextus belli Duci Britanniaë indicti moneta aurea à Duce cula iuxta præcipuos refertur. nec mysterio vacat interrogatio Christi, exhibito census numismate, cuius esset imago & superscriptio? & ad responsum Cæsaris esse, date ergo Cæsari, quæ Cæsaris sunt.

## §. XII.

### De reliquis iuribus Maiestatis.

1. **S**Vnt & alia quæ ad iura Maiestatis referuntur, ab eaque distribuuntur, sed vel ex his, quas diximus, notis vt fontibus fluunt, vel non ita emicantem habent splendorem, aut etiam inferioribus aliquatenus communicantur, vel lege aliquâ magis, aut communi vsu Summo Principi reseruantur. vt in integrum restitutiones, quæ lege Romanâ Prætori competunt; canonicâ Iudicis ordinario; vsu plerorumque regnorum à supremo Principe postulantur.

2. Primum ergò locum habent Mandata Principum, quæ ad legum condendarum auctoritatem referuntur. *Quod Principi placet legis habet vigorem.* Hinc litteris Principum ad calcem inferi solet mandati clausula, *quia nobis ita placet; auctoritatis plena: sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas:* non quidem ipsi Regi, qui nihil debet velle, quod ex iustitia non potest; sed subdito, qui in rationem voluntatis Regiæ non debet inquirere, sed obedire: nisi legi diuinæ liquidò repugnet. *Seruus siquidem herculis Imperij non censor, sed minister est. atque abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, inquirere illicitum, anceps,*

anceps, nec ideo assequare. & ex l. 157. D. de reg. iur. ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris, ignoscitur seruis, si dominis obtemperauerint; quorum iussa capessere fas est.

Vt continentem possident, ita quod eam ambit mare sui iuris Reges faciunt, ad exemplum legis 9. D. ad l. Rhod. de iact. vbi Imperatorem mundi dominum, & legem maris videmus, quatenus scilicet lambit orbem Romanum. sic Leo Nouell. 56. diuidit Bosphorum. Plura imperij in mare exerciti antiqua & noua colligit Le Bret lib. 2. cap. 11. de la souueraineté. nullum solemnius, quàm annum Veneti Ducis mare Adriaticum subarrantis.

Quidquid conspicuum, pulchrumvè est aquare toto,

Res fisci est, vbi cumque natat.

Bene acquiritur, inquit Cassiodorus, quod à nullis adhuc dominis abrogatur. Eo axiomate pleraque quæ nullius, quæ communia, quæ publica, sui iuris Principes fecere veteribus

Vsus communis aquarum est,

Nec Solem patrium natura, nec aëra fecit.

Nobis posteriorum saeculorum vsus proprium mare, proprium aëra fecit. Mirantium Christi miraculum tempestates sedantis exclamatio describitur, Quis est hic? quia venti & mare obediunt illi. Reges mare & ventos sub imperium redigunt. nauigare, mercari, piscari permittunt, prohibent, portoria, telonea imponunt; Insulas in mari natas, terras pridem inundatas suas faciunt; ventorum vsus molis agitandis concedunt, vetant. quanquam Grotius Mare liberum scripserit esse in Indias vsque, non Iberum. quidque iuris semper sit vsurpatum in mari Batauis vicino. in Hagoge l. 2. cap. 1.

Flumina etiam nauigabilia, & ex quibus fluunt nauigabilia, portus, ripatica, vectigalia, telonea, pridem à Frederico Imp. inter regalia relata sunt. vnde & libera illa, tuta, & nauigabilia præstare Princeps debet. tit. de littor. custod. lib. 12. C. vii Tiberius statuit stationes militum, grassaturis tollendis. piscationem pro more regionis sibi habet, Vasallis concedit, aut passim permittit: semper tamen piscandi leges præscribit.

Via etiam publicæ eodem referuntur à Frederico. & pridem arg. leg. 2. §. viarum. D. ne quid in loco publico. vnde vulgò viæ dicuntur regiae, in eaque natas arbores vsus regias facit.

Silvæ magnæ & nobiles etiam publicæ sunt, & regales, omnesque quæ non priuatim occupantibus olim cesserunt. multis tamen locis accolis lignandi ius concessum, aut vsu captum est.

Venationes etiam regiae sunt. præsertim vt illis exercendis idoneæ

3.

Dominatus  
maris vicini.

4.

Mole. Piscatio.

5.

Flumina,  
portus, ripatica, vectigalia, telonea.

6.

Via regiae

7.

Silvæ nobiles.

8.

Venationes

leges præscribantur, ita *l. vnic. C. de venat. ferar.* permittit leonum venationem. vnde inferunt aliqui reliquarum ferarum prohibere; quamuis titulus generalis sit de feris, & *l. 1. §. bestias D. de post. de omni fera*, quæ regioni nocet, accipi suadeat. & *tit. si quadrup. pauperiem fecisse dicatur.* Constitut. Frederic. *de pac. tenend. cap. 7.* vetat communi populo venationem *l. 16. D. de seruit. rust. præd.* in fundo alieno inuitis dominis, nisi quis è suo fugientes volantesvè persequatur. *argum. l. 2. D. de ser. fugit.* vbiq; penè hodie occidi vetita sunt feræ rufæ & nigrae, scilicet apri, cerui, hinnuli, &c.

9. *Auri, argenti, metalli fodinae.* Auri argentiq; fodinae & quorumcumque metallorum inter regalia recensentur. *l. inter public. §. publica. D. de verb. f. & viam strauit l. 1. & 2. Cod. de metall. & metallar.* & Senatusconsultum apud Plinium *lib. 5.* Italiae metalla scrutari interdicens, & *l. nulla. C. Theodos. de metal.* ex licentia Principis permittens. olim quidem priuati iuris fuit metallorum proprietas, *l. fructus, 7. §. 13. D. solut. mat.* sed vbiq; Reges sui iuris fecerunt, vt deserta & inculta loca, in quibus solet reperiri. *habitat desertis montibus aurum.*

10. *Argentaria.* Argentarias Fredericus recenset. sed puto eo nomine nummulariam vsurarij publici mensam significari, vt dixi *in iur. Pont. nou. anal. de vsur. n. 8.*

11. *Theauri.* Addit Fredericus dimidium thesauri in loco Cæsaris, aut religioso fortuito inuenti. sed le Bret etiam territoriorum dominis, & feudorum partem permittit, si in territorio aut fundo suo fuerit inuentus. *de la souuerainité, lib. 3. c. 6.*

12. *Bona vacantia, nullius.* Bona vacantia, adespota, & nullius, regia censentur. finita linea vnde agnati, vnde cognati, vnde vir & vxor, successor est fiscus. & ex vsu bona bastardorum, & alicubi peregrinorum, damnatorum, præscriptorum, præsertim reorum maiestatis. *d. tit. que sunt regalia. l. 1. Cod. de bon. præscript. l. 1. Cod. de bon. vacant. l. vnic. Cod. ne sine iuss. Princip.* sed alia pleraq; multis locis territoriorum domini ad se traxerunt, præsertim fundos adespotos.

13. *Domanii.* Denique domanium, quod Regi in dotem regni cedit, regia multa & singularia priuilegia habet. de quibus late Chopinus *lib. de doman.* sed imprimis protopraxiæ, siue præferentiæ, quod olim folius summæ Reipublicæ fuit. *l. penult. D. de priuileg. cred. Plinius epist. 113.* cui accedit aliud dominicorum bonorum, seu Regis priuilegium, maximè apud Gallos, vt Regi de re aliqua litiganti interim possessio cedat. quod etsi sit contra leg. *prohibitum l. defensionis. Cod. de iur. fisc. libro decimo.* admitti tamen potest, cum Vasallus officio deest, ex inuestitura debito; cum finito iure alicuius res redit ad Coronam; cum controuer-

siæ

sia est de regalibus, non communicabilibus. In compendijs autem poenarum nullatenus est admittendum, sed quod ait lex vlt. C. Theod. de appell. *saluâ Maiestatis nostræ reuerentiâ, ius nobis cum priuatis non dedignamur esse commune.*

De feudis, bonis emphyteuticis, censualibus, libellarijs, alaudia-  
libusque nihil attinet dicere, quia non sunt Principum singularia. 14. Quid de feudis, &c.

Ad Principem solum etiam spectat abolitionem aut remissionem criminum concedere. l. 1. C. de senten. pass. vbi restituit Imperator ad preces Præfecti Prætorio; cuius erat infra eum summa potestas, neque tamen eo porrecta. Senatus ipse sententiam non poterat reuocare. Sed non Senatui, inquit Tacit. lib. 11. *libertas ad penitendum fuit*, generatim Iudex officio definiendo functus, causam retractare non potest, l. quod iussit, D. de re iud. l. penam, C. de poenis. Eiusmodi clementiam cum examine causæ exercendam lib. 1. cap. 20. diximus. Regia porro causa est, inaugurationis dies, seu iucundus introitus in regnum, aut nobilem ciuitatem. l. si interueniente. D. ad Turpil. & summè regia olim obtinuit, vt in die passionis Dominicæ carceres reis spoliarentur. Hodie, inquit S. Cyprian. *patent carceres, damnati libertate donantur, seueritate depositâ Iudices mansuescunt.* sed & iusta clementiæ causa semper fuit, & publica, maiorum in Regem aut Rempublicam merita: condonata Quintio res ad Veros malè gesta, ob merita Cincinnati, Liu. lib. 4. Æschylo delicta propter Amintam, Salomoni dilata diuisio regni propter Dauid. Enimuerò non dabatur absolutio in peculatu. l. 3. Cod. de abolit. periculosa siquidem inciso regni neruo. Hodie non datur tantùm, sed & parum nimis inquiritur in multos prædones impunè in publico ære grassantes. vnde quæ non plurima Reip. deliquia?

Immunitates etiam, vacationes, & priuilegia concedere solius  
est Principis. l. vnic. Cod. de his qui à Principe vacationem acceperunt, tot.  
titul. de excus. mun. quia eius est legem ferre, l. 1. D. de constitut.  
condere, interpretari, æquitatè mollire. l. 1. Cod. de legib. Inter æ-  
quitatem, inquit, iusque interpositam interpretationem nobis solis & licet &  
oportet inspicere. Qui ergo de oneribus communem legem fert, sol-  
uere potest, quia supra legem est. Omnibus autem à nobis dictis, inquit  
Nou. 105. *Imperatoris excipitur fortuna, cui & ipsas Deus leges subiecit.*  
*legem animatam eam mittens hominibus.* Rarò tamen & magna ex causa  
procedere debet eiusmodi exemptio: quæ vel Regijs prouentibus  
nocet, vel alios aggrauat. Etenim quâuis largitas & benefacta Prin-  
cipis sint amplianda, tamen priuilegia sunt minuenda. *Tum lex præ-*  
*clarissima, inquit Cicer. 3. de legib. quæ priuilegia tollit.*

17. Solius etiam Principis est ciuitate aliquè donare, Quiritibus ascribere, iure aureorum annulorum donare, atque equestri ordine, & laureâ doctorali, titulis Baronum, Comitum, Palatinorum, Marchionum, Ducum, & si quæ aliæ sunt honoris *umbræ & simulacra*, naturalizare, vt loquimur, & nobilitare. *l. 1. l. quæris. D. natal. rest. l. 1. C. de natural. lib. c. venerabilem x. qui fil. sint legit. l. 1. C. de iur. aur. anul. Natales inquit antiquos & ius ingenuitatis non ab ordine decurionum præstari, sed à nobis peti potuit. Sapè, inquit Cicero 5. in Verrem, etiam Imperatores nostri superatis hostibus & Repub. optimè gestâ, strenuos annulis aureis in concione donarunt.* Adoptione etiam mutari familia citra Principis assensum non potest. *l. 2. C. de adopt. Iure, inquit Cicero, pro domo sua, à maioribus prodito, nemo ciuis Romanus in alterius potestatem transire potest, nisi populus auctor fiat.*

18. Sed & Fredericus primo loco inter regalia ponit armannias, quas *Armannia.* Cuiac. ad eam Const. potiùs arimannias vult, quæ videntur ei esse officia apparitorum, vel fabricæ, & publica armamentaria. Vtrumq; suâ ratione vestit: Prius quòd Magistratus creatio numeretur inter regalia ad *l. Iul. D. de ambit.* Alterum quòd arma ad Principem spectent, *Nonell. de arm.* sed Ioan. Ferrar. Mont. in *vsus feud. lib. 5. c. 7.* Prouentus ex armentis significari cupit, & Andream de Iternia perstringit in ea voce hallucinantem. Ego existimo legendum esse almanniam ab *altman* quod seniore[m] significat, vt sit almannia senioratus. cuius vocis dignitatem explicuimus, *lib. 1. c. 38.* apud nos Ammanni euphoniæ causâ; vel Altmanni apud vicinos, sunt Prætores, Præfectivè vrbi, de quibus diximus *lib. 1. c. 22.* vnde Fredericus dum inferiùs inter regalia recenset, *potestatem constituendorum Magistratuum* adiunxit ad *iustitiam expediendam*, qui sunt moribus nostris seu Germanis Scabini, vt eodem loco diximus, quòd mihi verisimile est Frederici distinctionem respicere. & quæ citat vterius Cuiac. locatas ciuitates cum ammannijs suis, secundum lectionem nostram significat ambitum quousque iurisdictio Ammanni porrigitur; eum enim teutonicè sensum ea vox apud nos etiam habet.

Cursus etiam publicus & euectionis copia regali tantùm numini est reseruata, *l. Iudicibus. C. de curs. pub. l. nullus eod. l. 137. de verbor. ob. l. 6. C. d. t.*

19. Vt armorum mouendorum copia non nisi ex nutu Principis tribuitur, *l. vnic. C. vt arm. vsus,* nec antè legem Regiam consuli, si legem curiatam non habuisset, attingere rem militarem licebat. *Cic. Phil. 7.* ita neque priuato licuit ad exercitum scribere, neque mutari numeros, nisi hoc *Augusta maiestas publicæ vtilitatis causâ fieri iusserit, l. con-*

*l. contra de re milit. nec vrbes muris cingere, l. 9. D. de rer. diuis. militem legere sine probatoria Principis. l. neminem. 17. C. de re milit. lib. 12. saluam guardiam concedere hosti aut reis. l. cum sepe. C. de erog. mil. an. lib. 12. l. iubemus C. de præpos. sac. cubil. lib. 12. Edict. 12. Jul. an. 1611. ar. 45. vectigalia, tributa colligere, l. 3. C. vectig. non. inst. non. pos. l. 10. D. de publican. Ad hoc tributa præstamus, inquit August. lib. 22. contra Faust. vt propter necessaria militi stipendium præbeatur. quem habere non licet nisi Principi. Sed & Regiæ Majestatis est, vt illius tantum domus, & patrimonia titulorum inscriptione legantur, l. 1. C. vt nemo priuat. præd. tit. quin & illi dumtaxat competit sacro encausto literas munire. l. 6. C. de diuers. rescript.*

Denique angarias, parangarias, plaustrorum & nauium præstationes, & extraordinariam collationem recenset Fredericus, & ad auctoritatem imperandæ pecuniæ pertinent. atque de his omnibus latius Le Bret. *de la souueraineté. Besold. cautè legendus de iur. Maiest. sec. 3. c. 8. Azor. inst. moral. part. 2. lib. 10. c. 7.*

20.  
Angaria,  
collatio-  
nes, &c.

Sed huiusmodi regalia magnâ sui parte ærarij utilitates sunt potius, quàm imperij iura. quæ Summo Principi in signum Supremi-  
tatis referuntur. illorumque communicatio est quædam cum infe-  
rioribus, sed quoad vtile dominium dumtaxat, eo modo quo à lai-  
cis decimæ, quoad utilitatem, non quoad directum dominium,  
quod ius spirituale est, possidentur. fluuntq; à Majestate tamquam  
fonte, & effectus à causa. Ideoque in his concessionibus nunquam  
suprema auctoritas censetur comprehensa, sed penes concedentem  
semper maior reseruata, quam sit concessa. *arg. c. dudum. §. hoc igitur de præbend. in 6. Besold. de iur. Maiest. sec. 3. c. 9. n. 2.*

21.  
Ærarij uti-  
litates.

Comitorum etiam cogendorum auctoritas Regia est: *Post im-  
perium, inquit Tacitus, à Tiberio initum ita desierunt fieri comitia, vt  
numquam postea populo restituta sint. quia scilicet, ad curam Principis, in-  
quit, l. vnic. D. de amb. hodie omnia pertinent. sed verò ante Imperato-  
res Populus volebat, iubebat: hodie regnorum Ordines suadent  
dumtaxat Regi consultanti. Quid porò maius, inquit Cicero 3. de  
leg. si de iure quarimus, quàm posse à summis Imperijs, & à summis potestati-  
bus comitia & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Franco-  
rum Regibus, inquit Sigelbertus, moris erat Kalendis Maij præsidere co-  
ram tota gente, & salutare & salutari, obsequia & dona accipere. sed ma-  
ximè rerum agendarum consilia in statu rerum perplexo. ad mo-  
rem Prophetæ, Cogite, inquit, omnes populos, vt inter me & inter popu-  
lum iudicent, si quid à me fieri debuit quod ipse non fecerim.*

22.  
Comitia.

Referri solet & inter Regias actiones academiæ erectio. ad  
modum quo Pharaos constituit Ioseph dominum domus suæ, & Princi-

pem omnis possessionis sue, ut erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. Pluribus prosequitur Le Bret, de la souveraineté. lib. 4. c. 12. facit l. 1. c. de stud. liberal. Urb. Rom. C. de profess. &c. sed quo generaliores sint, solet Papæ accedere auctoritas. x de Magist. ab eoque literæ erectionum magis ad Regum instantiam quam à Regibus dari solent. Laicos duntaxat laudant auctores Vniuersitas Leydensis, aliæque Romanam doctrinam aspernantes.

23. *Nundina.* Nundinarum etiam priuilegium Regium est. Le Bret lib. 4. c. 13. rerum euehendarum, inuehendarumque auctoritas, æstimatio, sine monopolij iusta negotiatio, collegiorum mercatorum, artificum inspectio, admissio. Idem lib. 4. c. 4.

24. *Deo & Ecclesia subf.* Denique Regium est cogitare cuncta mortalia incerta, quantoque plus adeptus sis, tanto magis te in lubrico censeas, horæ momentum interesse, inter solium & aliena genua, Supremum omnium esse Deum deorum & Dominum dominantium, per quem Reges regnant, Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt; esse vnam sanctam Ecclesiam Catholicam constitutam super gentes & regna: esse in ea vtrumque gladium: alterum pro Ecclesia, alterum ab Ecclesia, exercendum: illum sacerdotis, hunc manu Regum, & militum; sed ad nutum sacerdotis: esse gladium sub gladio: temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati: si deniat terrena potestas, iudicari à spirituali potestate: si deniat spiritualis minor, à suo superiori: si suprema, à solo Deo. eam etsi data sit homini, & exerceatur per hominem, non humanam, sed potius diuinam ore diuino datam, ita. c. vnam de maiorit. in Extrauagant. Omnia, inquit Val. Max. Rub. 1. post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summa Maiestatis conspici decus voluit.

25. *Quia de cetero iure regio à Samuele pro-* Quid ergò dicemus de reliquo iure Regio, quod Samuel proposuit populo Regem postulanti? 1. Reg. c. 8. filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, &c. filias vestras faciet sibi vnguentarias & focarias, agros, vineas, & oliueta optima tollet & dabit seruis suis, vinearum redditus addecimabit; seruos, & ancillas, & iuuenes optimos & asinos auferet, &c. sine

26. *Bona subditorum nō dominio, sed imperio possidet.* dubio non hoc ius Regi permissum fuit: sed Samuelis præmonitio populū deterrentis. alioquin nō rectè Elias increpasset Achab propter vineam Naboth. Legediuinā Rex tenetur, ut quiuis, ut abstinere alieno. *Vs,* inquit Isaias, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, ut auferatur aliquid proximo suo. David nec in locum sacrificij Iebulsci Arcunæ aream occupare voluit, sed emere pretio. Non accipiet Princeps, inquit Ezechiel, c. 46. de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum. Perstitit tamen populus. Rex erit, inquit, super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.

Omnia hæc verba suam emphasim habent. I. Rex erit super nos. Supermi-

premitatem Regis continent, qui super omnes, super quem nemo. *In Dei solius potestate sunt (Impp.) à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes.* Tertul. Apol. c. 30.

*Erimus nos quoque sicut omnes gentes.* periculo utique isti subiecti, Sicut omnes gentes. apud quae ea incommoda saepius obtinebant, qui suos magis ut seruos habebant, quam ut subditos. ut etiamnum multi Asiatici, Africi, Americani Reges: qui proximè absunt ab ijs, qui imperium habent in belluas.

Vnde & Turca Magnus Dominus rectiùs quam Rex dicitur. 28.  
Regum vera auctoritas est in liberos subditos, quorum tantò dignior autocratia, quanto digniores subditi. ut communi omnium Cur Europaeorum Reges ceteris digniores? Qui inter illos? Ante omnes Rom. Imperat. iudicio Europaeorum Principum dignius imperium, quam omnium barbarorum. Consequenter inter Europaeos, qui subditos habent digniores, grandiores, potentiores. adeoq; Romani Imperatoris Majestatem etiam idè ceteras praecellere semper existimaui, quòd sub imperio tam sublimes Principes habeat, quam nullus alius dominatus. ut Romani veteres, cum ad summa fastigia venire, *habuere instrumenta seruitutis & Reges*, quo imperij dignitatem non obscurari, sed magis splendescere existimarunt. ut non derogat lumini Solis septem Planetarum, aliarumque stellarum claritas. Malè ergo semper sunt mihi visi de Rege, & regno suo mereri, qui titulo suprematis multa subditorum iura Regi suo vendicant. non quasi impatienti consortis, (quod Solis & omnium Principum est) sed omnium radiorum atque cuiuscumque emicantis splendoris: eoque quo Rex plus splendoris habet, subditi minus; quo Regem Asiaticae, Africanæ, Americanæ, absolutæ potestati viciniorem faciunt, subditos hominum propriorum, mancipiorumque conditioni viciniore, eò Reges suos alijs praefereudos barbarè contendunt.

Sed redeamus ad verba iuris Regis à Samuele postulati. *& iudicabit nos*, inquit Populus. Emphasim habet hoc verbum, ut sicut anteà Iudices in populo illo rerum potiebantur, ita summa illa rerum transferatur in Regem. quemadmodum lege Regià populi omnis auctoritas in Vespasianum. Monet & hoc verbum ut Reges ex iure & iustitia regant. id enim est iudicare, non ut pro iudicio & ratione habeant voluntatem. 30. Qua virtus verborum iudicabit nos?

Rursus; *& egredietur ante nos.* quod tam spectat ad supremitatem, quam ut Rex admoueat manum operi, summæ rerum intendat, Rempub. curet. 31. Egredietur ante nos.

Iterum; *pugnabit bella nostra.* defertur arbitrium belli. & (quoniam contrariorum eadem est disciplina) etiam pacis. quæ res penè est 32. Pugnabit bella nostra est

est, in qua maximè elucet regia auctoritas, & quem ob finem, innocentiumque, in quorum tutelam vocati sunt, defensionem, Reges, Dynastæ, & cuiuscumque nominis Principes inuenti sunt.

33.  
Pronobis?

Extrema iuris Regij verba sunt *pro nobis* : seu in Rempub. vt supra ex lege Regia Velpasiani citauimus hæc verba ; *vti ex vsu Reip. Maiestate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumq. rerum esse censet. vt Reges omnes sciant populi sui causâ se esse constitutos, in rem populi actiones omnes suas dirigere debere, non spectare suas utilitates, libidines, voluptates.*

34.  
Lex Regia  
Samuelis  
non derogat  
supremitati:  
vri nec alia  
alibi, dum-  
modo alteri  
nō subijciat.

Denique Samuel postquam celsisset populo, & sorte in Regem electus esset Saul, 1. Reg. c. 10. locutus est ad populum *legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* firmavit ea ceremonia, non intregit auctoritatem Regis. Qua ex re rectè inferimus leges regnorum dominatumque fundamentales, non imminuere dignitatem Regum, ac Principum, nihil supremitati derogare. *quod supra diximus.* Vt non ex eo quod Reges Galliæ ( qui acerrimos habent scriptores & assertores suæ souueranitatis, & qui, si illi penè despoticè

35.  
Liquet nobili exem-  
plo Gallia.

non dominantur, iniuriam illos accepisse existimant. ) diuinis legibus teneantur, & præter ea quæ diximus supra ex Franco-gallia Hotomanni, c. 15. 25. lege Salica obligentur, nec Principibus inferioribus sua territoria, iurisdictionesve abrogare, ( tametsi lege Regia Romana ad Imperatorem omnium Magistratum & iurisdictionum auctoritas spectarit ) subhastata officia, ciuilia, aulica, militaria nequeant auferre, Principes consanguineos morte mulctare, Parium dignitates, Parlamentorum confessus abrogare, & sexcenta alia regni Ordinibus, Prouincijs, ciuitatibus promissa : Tametsi Clodouæus Hormisdæ & Sedi Apostolicæ coronam auream miserit, quasi submissionis tesseram : Carolus Magnus alijque annuos denarios Sancti Petri per singulas domos colligi permiserint: tametsi in consecratione Regum Galliæ, antequam præsententur consecranti, rogetur Populus an Regem acceptet : in memoriâ, vt reor, quòd olim Franci Galliam occupaturi natali loco exierint, vt examen apum, non cum Rege, quem domi habuerint, sed quem migrantes elegerint : vt pleræque gentes, quæ alias terras inundarunt, vt apud eos legimus qui historias & migrationes gentium scripserunt : quæ vt pleræque ex Septentrione prodierunt ; ita ferè omnibus quadrauit quod scribit Tacitus ; *In Germania & Gallia tum Reges erant auctoritate suadendi, non iubendi potestate* : Tametsi, inquam, hæc ita se habeant in Gallia, aliaque multa sint vsu, & consuetudine introducta, quæ Rex pro lubitu inuerrere non possit, ex fundamentalibus regni legibus, scripto aut traditione susceptis : quæ Romæ olim & alibi se-

cus

cus se habuerint : non ideò supremi-  
 tatem abrogare Regi Franciæ  
 quis ausit, nec abrogauit quisquam  
 Parthis, Persis, Medis, tametsi  
 Danielis 6. legamus quòd *lex Medorum atque Persarum est, ut omne de-*  
*cretum quod constituerit Rex non liceat immutari* : adeoque sit passus Rex  
 ille inuitus abiectionem Danielis in lacum leonum. quin & ipsi  
 Romani diuersis foederibus & pactis obstricti fuerunt Latinis &  
 Prouincialibus subditis. Hæc, inquam, non efficiunt supremi-  
 tati; sed eam semper fundamentales regni leges præseruant sacram, te-  
 ctam; dummodo superiorem in temporalibus non recognoscant.  
 quod in Rege Galliæ inculcat Innocent. III. *in c. per venerabilem. x.*  
*qui fil. sint legit.* qua de re post Philippi Pulchri tam enixam conten-  
 tionem cum Bonifacio VIII. eiusque Const. *Vnam. de maior. &*  
*obed. in Extrau.* tanto studio à Clemente V. obtenta extat alia Ex-  
 trauiagans *Meruit, de priuilegijs.* qui tamen Pulcher sine inuidia pas-  
 sus est per totum regnum multos dynastas communicatis plurimum  
 notarum Regiarum radijs splendere. alijque post eum vsque ad  
 Ludouicum XI. qui regnum se ex ephebis emisisse gloriari sole-  
 bat. neque veteres tamen illos Reges soueranos non fuisse iure  
 quis dixerit. tametsi & illi & hodierni comprehendi non possent  
 soueranorum definitione, quam aliqui protrudunt illiusmodi, vt  
 sub eius rigorem redigi nullus hodiè Europæus Princeps possit.  
 quamuis ea verba sint plurimum significatiua, à populo inuenta, re-  
 bus vt extant, & populariter applicanda, non vnis forsitan vt pro-  
 pria, & minus idæis Regum in spacijs Orbis imaginarij regnan-  
 tium.

36.

Persarum;

Romano-

rum

37.

Ab impos-

sibili.

## CAPVT II.

Ratio dicendorum, atque imprimis de supre-  
 marum legum iure ac vinculo.

**P**Erstrinximus breuiter Regias notas primæ atque secundæ  
 classis. sed de primis latius hîc dicendum est, vt magis proprijs.  
 & quidem materiam condendarum legum, creandorumque  
 Magistratum lib. III. tractauimus, tamquam ciuilem. quoad  
 causam verò suam efficientem vtraque huius loci est. Solius quippe  
 Principis est leges ferre. *l. i. D. de Const. & Magistratus creare. l. i.*  
*D. de amb.* Superest igitur vt de primis latius dicamus, adeoque vt  
 legati, bella, fœdera, pax publica, induciæ, salui conductus, infra-  
 ctiones, repræsalix, moneta, vectigalia suum deinceps locum  
 habeant. & quoniam status publici mutationes periculosa hisce  
 insunt,